Quæstio Medica

Cardinalitiis disputationibus, die Jovis 5a martii 1573 agitanda,
In Scholis Medicorum: Oliuario De Violaines
Doctore et Regio Medico Moderatore prudentissimo

Præstatne Pharmacia Venæ Sectioni?

Sanguis natura thesaurus.
Ignis absentiâ effervescit Bilis. quia sanguis est frænum bilis.
Medicus sit διμοφοβος.
In plenitudine, præmittenda purgatio. neque venæ sectio anteponenda.

Quia Medicus naturæ minister est, sanguis ejusdem thesaurus; è quo duo ad vitam sibi necessaria promit, triplicem spiritum et alimentum, ne corpus ejus jactura refrigeratum in cachexiam, tabem, vel hydropem incurrat, aut, coctionis capax Bilis ejus absentia nimium effervescat, sit διμοφοβος, cæteraque remedia, inediam, frictionem, pharmacum, vel in ~~plethora~~ plenitudine (ex in causa sibi aqua coctæ) primum experiatur: quinimò si peræque ambo ex usu fuerint, à pharmacia curationem ordiatur.

Æstuante sole, algente Luna in pueris et senibus venæ parcendum.

In quo tempore modum non potest, qui aut Cœli statum et solis et Lunæ motibus non observarit, ut æstuante sole atque algente Luna venæ parcat. Aut Regionem non adverterit, ut in temperata, qualis sub æquatore, plus audeat quam in calida vel frigida. aut ætatis rationem non habuerit, ut in pueris et senibus, consimiliterve affectis, missione sanguinis abstineat.

Venæ sectio Lethargico, Cataleptico, apoplectico, Epileptico, hydropi est contraria.
phrenitico, et atrabilario necessaria.

ad Lypothymiam instituenda.

Sed Imprimis morbi sedem et quasi nosocomium, deinde similem illam Lesbiæ normæ, non polycleti regulæ ἰδιοσυγκρασίαν nosse debet, frigido enim ut et crudo, proindeque Lethargico, Cataleptico, Apoplectico, Epileptico, hydropi contraria est venæ sectio. Necessaria vero vel præter necessariam calido, ut phrenitico et atrabilario necessaria. Atrabilarium dico non quidem humore melancholicus ingeniosum facit, sed quidem melancholia in furorem agit, non divinum certe, nec enim demulcentur quibus æstivae verbis, sed dæmonicum potius: cum nihil sit alliciendo, decipiendo, retinendoque dæmoni humore illo convenientius, quidem tamen si venæ sectione et pharmaco, non æmuli et inefficacibus curaverit, cum causâ morbum, non statim dæmonem cum morbo sustulerit.

Ad hæc expensa morbi causa, qualitate, magnitudine omnia tandem viribus ægrotantis metienda erunt. quarum robur si pulsus morborum ~~judex~~ verior index, quam urina, enunciavit, ad Lipothymiam sanguis erit educendus: idemque alias ad contraria revellendus, aut ad vicina derivandus.

Medicamenta ei temperanda, neque præstant venæ sectioni, quæ sunt vel benigna, atque noceri non possunt, vel fortia, atque cum deleteria traxerint, tum eque noxiæ etiam nequeunt, nec turbare.

At Medicamenta non aliter calida quam calx aut cinis, tum demum sunt medicamenta, cum ab anima per calorem vivente promoventur in actum, quæ si benigna fuerint: omni sexui, ætati et morbo quovis tempore conveniunt: si fortia, cum deleteria trahunt occultâ proprietate totius substantiæ: ut aloe Bilem, Veratrum Melancholiam, Agaricum pituitam, tractum dejiciunt, frigore non minus quam calore.

Ergo Pharmacia præstat Venæ Sectioni.

De his respondebit Joannes Riolanus Ambianus.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE